

menta solum ipsa Germaniæ veteris, sed & ob eruditissimas præfationes, Dissertationes & Annotationes magno semper eruditus in pretio fuerunt. Igitur & de monumentis quæ sequuntur, quidni denuo præclare speremus? Comparat autem primo loco nova Editio

LEGIS SALICÆ.

Videri forte nonnullis posset hic labor supervacaneus post tot illustrium ac eruditissimorum virorum, Gallorum atque Germanorum (quos in compendio stricim celeberrima Lipsiensium Acta Eruditorum A. 1720. p. 209. commemorant) labores in hanc legem eximios; & post novissimam viri docti Jo. Georg. Eccardi editionem minime sane contemnendam. At, ut inspexisse Schilteri editionem ipse optat Eccardus; ita vel hoc solum nomine commendanda præ aliis est, quod tota à Manuscripto Regio Parisiensi codice accurate per V. Cl. Jo. Georg. Schottum descripta prorsus emendatam Salicæ Legis faciem sinit; ab editione Basilii Joh. Heroldi adeo discrepantem, ut nefas duceret Noster, illam cum Orbe Literato non communicare. Qui & in præfatione plurima habet eruditissima, quæ conjecturas Eccardi de primis Autoribus Legis Salicæ, i. e. Gentis Proceribus, sive terras quas incolabant, sive dignitatem, sive Malbergios, i. e. judicia respicias, penitus evertunt, multoque solidius rem omnem in plano, ni fallor, ponunt. Quemadmodum vero simul Schilterus noster observat, duas esse Corporis Salicæ Legis editiones: unam veterem, semi-Latinam, quæ Malbergiorum veterum Francicorum terminos retinet, quamque nunc à Parisiensi Codice, ut vetustissimum Germanicæ linguæ Monumentum, Regibus Francorum ipsis antiquius, noster Thesaurus dabit: alteram novam sub Regibus Francis, & mere Latinam, quæ in Capitularibus Regum Francorum à Baluzio emendatissima exhibetur: ita, si id aridè viris eruditus confiteri, nec deerimus lectori hujus quoque, Latinæ Baluzianæ, subministratio: ne quid de tam venerando Germaniæ Franciæque veteris Juris Corpore desit, quod ex antiquis codicibus haberi potest.

Proximum ab hoc locum tenebit

JUS ALEMANNICUM PROVINCIALE.

Nimirum ita decet, ut ab eadem manu, quæ Jus Feudale Alemannicum pridem nobis tanto dedit apparatu, tanto successu; nunc & Jus provinciale habeamus. Exhibuit equidem jamdudum Legem Alemannicam Heroldus in Codice LL. antiquarum, sed Latinam: quam & Goldastus primum Tomi II. Scriptor. Alemannicorum locum occupare voluit; & rursus Collectioni Legum Antiquarum inferuit Frider. Lindenbrogius, Francof. ap. Wehelos 1613. Verum, si non infirmæ laudi cedit Alemannorum, quod Jus suum jam olim patria lingua scriptum, à sub Theoderico Francorum R. Domino, cui tum subiecti erant, jubente volenteque in Latinum idioma translatum, ad patriam insequuto tempore linguam revocarunt: non sane debuit inter blattas sineque latere quicquid hujus vernaculi Codicis nobis Germanis superest. Tempus & ætatem si quæras, tametsi codices Manuscripti recentiores totum ad Carolum M. referant; & inscriptio, *Hie hebt sich an des saligen König Karls Landrecht - Buch*; observat tamen Schilterus, reperiri in Manuscripto majori Argentinensi rubricam aliam, h. m. *Hie vohet an das Landrecht-Buch, als es gemacht ist ze Nurnberg*. Inde vero colligit, in Comitibus Noribergæ sub Ottone III. A. 1208. Codicem hunc fuisse publica autoritate stabilitum, atque adeo Feudali Alemannico coætaneum. Affirmat autem Codicem, è quo editionem hanc adornavit, fuisse Regiminis Bavarici librum Judiciale admodum accurate conscriptum, cuius augeat autoritatem, quod Constitutiones, seu Capitularia Caroli M. inserta cernuntur. Nihil est ergo, Lector, quod addamus ad favillam tibi movendam amplius.

Insequetur nunc

Fragmentum Amplissimum de Bello Hispanico Caroli M. contra Saracenos.

Rhythmo illud compositum est pridem Franco & pervertuto. Describit, & poetico more ornat, quanquam rudi minerva, expeditionem Caroli A. 777. contra Saracenos susceptam; quam breviter ita tradit vetustissimus autor Annalium Gothicis literis in Codice Vindobonensi scriptus & à Lambeco (L. II. Biblioth.) editus p. 372. *Karlus contra Saracenos Pampalonem civitatem capit. Abiturus Saracenorum Rex dedit obsequia fratrem suum & filium, & reddidit civitates, quas tenebat. Inde profectus ad Cesaris Augustam, adducit secum Hnalarabi (leg. Hnalarabi) Regem Saracenorum*. Quam multa de hoc bello, cui interfuit, & quo vitam finit Rolandus, à multis scribuntur fabulosa! Hic vera factis mista haud dubie; tamen ob linguæ veteris reliquias sunt pretiosa. Amplissimum vero fragmentum est, initio quidem carens, sed versus continens 4495. Codex erat magnæ antiquitatis figuris quoque variis ornatus minime rejiculis, quæ historiarum rerum gestarum Caroli & quæ contigerunt tempore illius, depingunt. Inter quas eminet insignis, quæ Baptismum Saxonis Wedekindi adumbrare videtur. Alia Karolum barbaram cum Sceptro Liliato throno insidentem, & legatos hostium supplices audientem. Excipit hanc editionem veterem aliud

Poëma von Chunich Karl und von Ruoland: gemacht, wie si din Heidenchaft überbomen.

Integrum hoc est ex antiquo illo renovatum seu instauratum à Stricbero quodam idiomate multo recentiore. Si Goldasto credimus ad Parænes. p. 261. & Morhofio de lingua German. c. 7. p. 310. non ultra seculum duodecimum ætas ejus excurrat: nec nos repugnabimus. Sufficit tamen ætas, ut & his monumentis jungatur, Lambecius (l. c. p. 385. 199.) initium atque finem edidit: integrum poëma, s. librum nemo. De notissimo, quod nunc apparet.

Epinikio, quod A. C. 883, rhythmo Teutonico acclamatum Ludovico Regi fuit,

non est opus, ut nunc multa dicantur. Notum satis illud est, utpotè jam 1696. editum à B. Schiltero, & communi eruditorum plausu probatum. Sufficit reddi nunc illud, nonnullis notarum accessionibus auctum. Agmen secundi Tomi claudent

Parænetici Scriptorum

à Melchior Haiminsfeld Goldasto cum notis editi A. 1604. & jam rarissime occurrentes: quos nunc nova & nitida editione reddi sibi non indignabitur Orbis Eruditus.

Post

Ende

Anfang